

In luce maxima Marq. Freherus tum ex Codice MSS. Palatino, tum ex alio Codice, qui velut autographum in ipso Eberpergeni monasterio servatur: ubi & carmen reperiri affirmat ad Henricum IV. Imp. quo huic librum suum offerat Willeramus: & Epitaphium ab ipso met scriptum: Quin &, referente M. Velfero annotari ibidem, Willeramum obiisse A. MLXXXV. Nonis Maji, cum Monasterio summa cum laude præfisset annis XXXVII. Ceterum non nunc primum prodit Willeramii Canticum Salomonazum. Jamdudum addit geminum ejus in Canticum Canticorum Paraphrasin; priorem rhythmis Latinis, alteram veteri lingua Francica, Paulus Merula, cum explicatione in lingua Belgica, & notis: Lugd. Bat. 1598. typis Raphelengianis. Contenditque ditionem Willeramii propius ad Saxonice seu Belgice genium, quam ad superioris Germanie dialectum accedere: id quod longe aliter videtur Frehero, qui prorsus Alemannicam, imo Bavaricam veterum dialectum sese pluries animadvertere observat. Credo id & ex inspectione patere. Interim uti codicem Merula nactus est non optimum, & qui cum Cæsareo comparatus, quem Lambecius recenset, (I. H. p. 764. fgg.) ferme aliud opusculum continere videtur; ita maluit noster Schilterus, cui de Cæsareo Manuscripto nihil ad manum erat, sequi editionem à Gothardo Veggelino excusam Wormatiz, 1631. quæ Willeramum ad Marq. Freheri librum, e Palatino Codice, summa fide descriptum exprimit: solum tamen Cantici sacri textum exhibens, paraphrasin omisit: Curabitur enimvero, ut specimen Lambecianum simul inferatur; aut forte recentior editio cum Francisci Junii notis Amstel. 1655. in 8. excusa; si nancisci quidem illam poterimus. Inde dabitur

REGULA S. BENEDICTI Latino-Germanica.

Equidem tantam illa ætatem non fert, ut præcedentia monumenta: forte Seculi XIII. aut XIV. factus: eaque propter non tam est intellectu difficilis. Visa vero ob id potissimum fuit non indigna, quæ in hoc volumine locum haberet, cum & vocês antiquas retineat bene multas, & ut sensim emendatior lingua Germanica facta sit temporum successione, ostendat. Descripta est à Codice Veteri San-Gallensi.

Multo antiquus inde succedit *Fragmentum translationis vetustissima libri ISIDORI HISPALENSIS contra Judæos de Nativitate Domini, Passione & Resurrectione*, &c. Tam obscurus est sermo, tamque vetustus & involutus, ut vincere non solum Otfridianam, verum & Carolinam ætatem videatur, seculi octavi forte mediæ conatus. Autor penitus ignoratur: nam deest in Manuscr. initium titulusque libri: à secundo capite post medium incipit, & rursus in nono finit. Adpositus lateri est textus Isidori Latinus ex editione Jac. Breullii Colonienfis. Divinandum Lectori relinquimus, an non in Hispania forte nata sit ista versio Isidori, ubi inter Gothos & Vandalos Tevtonas multos vixisse & habitasse dubium vix est, & vero ibidem Judæi magna numero ac solertia seducendi formidandi Christiani erant.

Verum, quicquid hujus sit, extra dubium in Hispania natus est liber, seu Epistola

R. SAMUELIS AFRI Maroccenfis

è Judæo ad Christianam fidem conversi, de Adventu Messie, quem Judæi frustra expectant: Arabice primum scripta fuit anno circiter 1070. ad R. Isaacum; Latine vertit pridem Alphonsus quidam Dominicanus: extatque versio illa in omnibus fere Patrum Bibliothecis. Hanc vero Germanicam fecit nescio quis vetus interpretes, sed non ultra seculum XIII. (si tamen habet) ascendens. Initium est. Hie vahet an daz Gerichte mayster Samuel, durch den bewert wurt, das die Zukunft Christi oder Messye nu lange vergangen sy, mit den Geschritten der alten E (i. e. ævi vel Testamenti) die die Juden nement, betutet durch den Bruder Alfonso.

Excipit hoc opusculum

*Index Evangeliorum Dominicalium & Festivorum veterum Tevtonum.*

Descriptus à codice quodam Argentinensi vetusto Schilterus, notulisque nonnullis illustravit. Esse vero usum aliquem tum hujus Indicis, tum

*Kalendarium Alemannici Veteris*

quod & ipsum ex Archivi Argentinensis Codice quodam vetusto, Seculi tamen XIII. excerptum est, & quod non ultra quartam Septembris partem progreditur; nimirum ad cognoscenda veterum Germanorum Festa, tum pericopas Evangelicas ab hodiernis multum diversas, nemo peritus rerum negaverit.

Dulcis enimvero præ aliis erit

*Collectio Catechetica veteris Ecclesie Tevtonice.*

Quæ nimirum rudimenta Christianæ Fidei, Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Verba Institutionis S. Cœnæ, Formulas Confessionum Varias, similiaque plura ætatis variæ; oratione tum profana, tum metrica, ab editoribus variis hic illic emissa, ut & quædam è Manuscr. noviter descripta, una cum Latina Translatione & notis Schilterianis ordine decenti sistit.

Nec inuavis erit lectio Fragmenti, quod *Colloquium Christi Domini cum Muliere Samaritana* continet, nec tamen integrum, Tevtonico rythmo vetustissimo, & qui seculum nonum plane olet. Hinc *Hymnus S. Ambrosii, Te Deum laudamus* lingua eadem. Denique agmen tomi primi claudit

*Rhythmus de S. Annone, Archiepiscopo Colonienfi.*

Vixit temporibus Henrici IV. Imp. quem à decimo ætatis anno (Matri surreptum) educavit, & in aula Cæsaris deinceps habenas rerum usque ad A. 1072. moderatus est, recessit vero tum, posthac Henrico inimicus, & pro hoste habitus; denique Anno 1075. defunctus. Hunc tametsi Scriptores Germanorum historici veteres non omnes laudent; tamen miraculis post mortem claruisse pro certo habetur. Elogium rhythmicum composuit, ni fallor, seculi sequentis duodecimi poeta. Carmen dimidium manu sua Tevtonica & Latina lingua scripsit Schilterus, notasque aliquas adjecit: sed à vigesimo capite ad finem textus deest rhythmorum; Latina vero versio extat integra.

Hæc de Tomo primo, & Monumentis Ecclesiasticis. Sequetur hunc

TOMUS SECUNDUS.

*Monumenta quedam continens Veterum Germanorum Profana, sive Civilia.*

Jamdudum editis talibus magnum sibi nomen peperit noster SCHILTERUS: quippe cujus *Codex Juris Alemannici Feudalis*, jam A. 1697. tum anno sequente *Chronicon vetus Jacobi de Kaenigsbosen*, non ob monumenta

Ende

Anfang